


DKK
vgl an Cē 209:
= Hing. 1580

64.



JOANNIS
THOMÆ FREI-
GII I. V. D.

Historiæ

SYNOPSIS.

Sen

Prælectionum historicarum in
Altorfiano Noribergensium
Gymnasio delineatio.



ARGENTORATI,
*Typis Josiæ Ribelij, per Andream
Rietschium.*

ANNO M. DC. VI.

292



3

FREIGIUS LE-
ctori S.



ULTI sunt, Benevole Lector, qui historiarum studiosis utilem laborem præstiterunt in demonstranda, explicandaque ratione, qua historia rectè & cum fructu legi posset. Ex his, cum auditoribus meis in Gymnasio nostro historica prælegerem, decerpsi ea, quæ maximè utilia, & ad intelligentiam historiarum essent omnium maxime necessaria: eaque in hanc Synopsin, quam vides conjeci. Etsi autem hæc puerilia esse fateor, eaque consecrari mediocris ingenii esse: tamen quoniam puerilis & mediocribus ingeniis scripta sunt: suam quoque utilitatem, hæc quantumvis tenuia principia habebunt. Nam ut poëta Græcus ait: ἀρχὴ ἡμισίῳ πάντος, & ut Latinus.

Dimidium facti, qui bene cæpit, habet.

Dimidium autem facti erit, quòd in hac tam brevi Synopsi immensitatem illam historiae contueri: & quæ regnorum, imperiorumque singulorum Epochæ (ex quibus etiam Synchronismus facile colligi potest) quæque item cōversiones, mutationesq; insignes his acciderint: quod denique ordine quæque

res legendæ sint, nullo negotio assequi poteris. Cætera ex illis historiarum autoribus petere licebit, quos sigillatim cap. 4. descripsimus: ex quibus præcipuè cuiuslibet regi suum *μνημόσυνον* (ut Herodotus vocat) adjicies, ut nos in paucis. (Nino videlicet, Semiramide, Sardanapalo) ostendimus. Habet enim ferè quisq; regum & principum suum peculiare, quasiq; proprium *μνημόσυνον*, quo se famæ inseruit, & memoriæ posteritatis propagavit. Vale Lector, & his benè fruerere
Altorfii, mense Februar. anno.

C I O . I O . L X X X .



J O . T H O .

5

JO. THOMÆ FREI-
GII PRÆLECTIONES
HISTORICÆ.

Definitio Historiæ.



HISTORIA est memoria re-
rum in hoc Mundo gestarum.
Unde Platoni in Cratylo hi-
storia dici videtur, ὀπίσθησι τῶν
ῥῶν quòd sistat fluxum. hoc est,
quòd memoriæ nostræ (quæ
fluxa ac labilis est) infirmitas ac imbecillitas
per historiam confirmetur: quasi antiquita-
tis & historiæ cognitio sola firmam ac
stabilem scientiam præstet. Et Cicero Pla-
tonem quodammodo secutus lib. 2. de Ora-
tore, historiam testem temporum, lucem ver-
ritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ,
nunciam vetustatis appellavit. Herodotus
quoque lib. 1. statim in initio hunc finem &
usum fructum historiæ memorabilibus ver-
bis complexus est, cum ait: ἰστορίας ἀπόδειξις
ἦδε, ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τὰ χρόνα ἐξί-
τηλα γένηται, μήτε ἔργα μεγάλα τε καὶ θαυμάσια,
ἀκλεῆ γένηται. Eundem finem paulò præ-
sius proposuit Livius. Hoc illud est præcipuè
(ait) in cognitione rerum salubre ac frugi-
ferum, omnis te exempli documenta in illu-

stri posita monumento intueri, unde tibi, tuæque Reip. quod imitere, capias: unde fœdum incœptu, fœdum exitu, quod vites. Itaque, ut Agathias ait, non facile fuerit explicare aut enumerare, quot bonis historia humanam expleat vitam: sed, ut summam dicam, civili philosophia haud longè inferiorem hanc duxerim, nisi forte plus aliquid conferat. Siquidem hæc ipsa haud secus ac domina, jubet & constituit, quibus nam sit inhærendum, quæue sint fugienda, dum virtutem collocat in excelso loco & exemplorū varietate velut condimentis, quæ narrantur, excolit. Sed hæc omnia plenius in initio suæ bibliothecæ Diodorus Siculus: τοῖς τὰς κρινὰς ἰσορίας πρῶτα τευσαμύοις, μεγάλας χάριτας ἀπονέμειν δὲ κρινον πάντας ἀνθρώπους, ὅτι τῆς ἰδίοις πόνοις ἀφελήσονται τὸν κρινὸν βίον ἐφιλομήθησαν. ἀκίνδυνου γὰρ διδασκαλίαν τὸ συμφέρον τῷ εἰσηγησάμενοι, κριτῶν ἐμπειρίαν ἀπὸ τῆς πρῶτης πείρας ταύτης περιποιῶσι τοῖς ἀναγνώσκουσιν. ἢ μὴ γὰρ ἐκ τῆς πείρας ἐκείνης μάθησις μετὰ πολλῶν πόνων ἢ κινδύων ποιῆται τῶν χρησίμων ἐκείνου ἀναγνώσκου (καὶ ἀπὸ τῶν ἡρώων ὁ πολυπειρότατος μετὰ μεγάλων ἀτυχημάτων, πολλῶν ἀνθρώπων ἰδὲν ἄσπεα κρινὸν ἔγνω.)

Ἡ δὲ ἀπὸ τῆς ἰσορίας περιγινόμενη σκέσις τῶν ἀλλοτριῶν ἀποτευγμάτων τῆς καὶ κριτορθωμάτων, ἀπειράτον συακῶν ἐχει διδασκαλίαν. Καλὸν γὰρ τὸ δυνάσασθαι τοῖς τῶν ἀλλῶν ἀγνοήμασι πρὸς διορθωσιν

διόρθωσιν χρῆσθαι παραδείγμασι καὶ πρὸς τὰ φυγ-
 κυρῶντα ποικίλως κατὰ τὸν βίον ἔχειν μὴ ζήτησιν
 τῶν προσυομένων, ἀλλὰ μίμησιν τῶν ἐπιτετενυ-
 μενων. Καὶ γὰρ τῆς πρεσβυτάτης ταῖς ἡλικίαις ἀ-
 παντες τῶν νεωτέρων προκρίνουσιν ἐν ταῖς συμβε-
 λιαῖς, ἀλλὰ τὴν ἐκ τοῦ χρόνου περιγεγενημένῳ ἀν-
 τοῖς ἐμπειρίαν. Ἦς τοσούτον ὑπερέχειν συμβέβηκε
 τὴν ἐκ τῆς ἰσορίας μάθησιν, ὅσον καὶ ἅπλῃται τῶν
 πραγμάτων προτερῆσαν αὐτῷ ἐπεγνωσμένῳ. διὸ
 καὶ πρὸς ἀπάτας ταῖς τῆ βίβη περιτάσεις χρησιμώ-
 πιτῶν ἄν τις εἰς νομήσειε τὴν ταύτης ἀνάληψιν.
 τοῖς μὲν γὰρ νεωτέροις τὴν τῶν γενησομένων περι-
 ποιῆσι σῶσιν, τοῖς δὲ πρεσβυτέροις πολλαπλασιά-
 ζει τὴν ὑπάρχουσαν ἐμπειρίαν, καὶ τῆς μὲν ἰδιώτης
 ἀξίως ἡγεμονίας κατασκευάζει, τῆς δὲ ἡγεμόνας
 τῆ ἀλλοτῆς δόξης ἀθανασίᾳ προτρεπεται τοῖς
 κακίσοις τῶν ἔργων ἐπιχειρεῖν. χωρὶς δὲ τῶν, τῆς
 μὲν εὐφράτω ταῖς μετὰ τὴν πελευτῶν ἐπαίνοις
 ἐτοιμότερος κατασκευάζει πρὸς τῆς ὑπὲρ τῆς πα-
 τριδὸς κινδύους, τῆς δὲ πονηρῆς τῶν ἀνθρώπων
 ταῖς αἰωνίαις βλασφημίαις ἀποτρέπει τῆς ἐπὶ
 τὴν κακίαν ὁρμῆς. ἐξ ἀπάντων δὲ συμπληρῆ μέ-
 νης τῆς εὐδαμονίας. ἀποδοτέον τῶν ἐπαίνων τὸ
 προτιεῖον τῆ τῶν μάλιστα αἰτία ἰσορίας ἡγετέον
 γὰρ εἶναι ταύτῃ φυλακῆν μὲν τῆς τῶν ἀξιολόγων
 ἀρετῆς, μάρτυρα δὲ τῆς τῶν φαύλων κακίας, ἐνεργ-
 γέτιν δὲ τῆ κακίᾳ γένος τῶν ἀνθρώπων, εἰ γὰρ ἡ τῶν
 ἐν ἄδᾳ μυθολογία, τὴν ὑπόθεσιν πεπλασμένῳ
 ἔχουσα, πολλαὶ συμβάλλεται τοῖς ἀνθρώποις πρὸς
 εὐσέβειαν καὶ διηγοισιῶν: πᾶσα μάλιστα ὑπολη-

πλέον τῶν περὶ τῆς ἀληθείας ἰσορίας, τῆς ὅλης
 φιλοσοφίας οἶονεὶ μητρόπολιν ἔσαν, ἐπισκευάσαν
 διώσαν τὰ ἔθνη μᾶλλον πρὸς καλοκαγαθίαν; πάν-
 τες γὰρ ἄνθρωποι διὰ τῆς φύσεως ἀορένειαν βυ-
 ούσι μὲν ἀναεραῖον πὲρ τοῦ παντός αἰῶνος,
 τετελευτήκησι δὲ πάντα τὸν ὑστερον χρόνον: καὶ τοῖς
 μὲν ἐν τῇ ξῆνι μηδὲν ἀξιόλογον πρῶτα σιν, ἀμφὶ ταῖς
 τῶν σωμάτων τελευταῖς συναποθνήσκουσιν, τὰ ἄλλα
 πάντα τὰ κατὰ τὸν βίον. τοῖς δὲ δι' ἀρετῶν περι-
 ποιησαμένοις δόξαν, αἱ πρῶται ἀπαντα τὸν αἰῶ-
 να μνημονεύονται, διὰ τὴν ἀσπίδα τῆς
 ἰσορίας σόματι. καλὸν δὲ οἶμαι τοῖς εὖ φρονέσι θνη-
 τῶν πόνων ἀντικαταλλάξασθαι τὴν ἀθάνατον εὐ-
 φημίαν. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα μνημεῖα διὰ μένει χρόνον
 ὀλίγον, ὑπὸ πολλῶν ἀναίρετῶν περιπέσεων. ἡ δὲ
 τῆς ἰσορίας διώμις ἐπὶ πᾶσαν τὴν οἰκουμενὴν
 διήκασα, τὸν πάντα τῶν λαῶν λυμαινόμενον χρόνον
 ἔχει φύλακα τῆς αἰωνίης παραδόσεως τοῖς ἐπίγειοις
 μένοις, συμβάλλεται δὲ αὕτη καὶ πρὸς λόγους διώ-
 μιν, οὗ καλλίον ἕτερον οὐκ ἂν τις ῥαδίως εὕροι. τέταρ-
 τος γὰρ οἱ μὲν ἑλλῶνες τῶν βαρβάρων, οἱ δὲ πεπαιδευμέ-
 νοι τῶν ἀπαιδευτῶν πρῶτοι. πρὸς δὲ τέτοις, διὰ
 μόνον τέτατον ἐστὶ ἓνα τῶν πολλῶν περιγε-
 νῶν. συμβαίνει δὲ τῶν μὲν ποιητικῶν τέρπειν μᾶλ-
 λον ἢ περὶ ἀφελῆν, τῶν δὲ νομοθεσίαν καλᾶξιν, καὶ
 διδάσκιν. μόνον δὲ τῶν ἰσορίαν, ἀπαντα τῶν
 τῆς γραφῆς περιληφέναι. ὁρᾶται γὰρ αὐτῶν περὶ
 τρεπομένῳ ἐπὶ δικαιοσύνην, κατηγοροῦσαν τῶν
 φαύλων, ἐγκωμιάζουσαν τὰς ἀγαθὰς, τὸ σωῶλον
 ἐμπειρίαν μεγίστην περιποιῶσαν τοῖς ἐντυγχά-
 οισι.

Divisio


SYNOPSIS.

Divisio Historiae.

Historiae divisiones à variis variæ proditæ sunt: latè enim patet historiae vocabulum: ita ut Mundum utrumq; majorem & minorem complectatur. Historia Mundi majoris vel universalis est, quæ Cosmographia dicitur, eamq; Plinius descripsit: vel particularis, eaq; rursus, vel cœlestis vel terrestris. Cœlestis ab Arato & Higyno descripta est & Astronomia dicitur: Terrestris à Strabone, Pomponio Mela, & Solino nomine Geographiæ comprehensa est. Historia minoris Mundi, τῆς μικροῦς, tradit homines opera vel interiora, vel exteriora. Interiora sunt animi cōceptus & opiniones circa religionem aut philosophiam, ut Diogenes Laërtius scripsit. Exteriora opera sunt aut mores, instituta, leges, aut actiones in dictis factisq;. Dicta verò aut sunt copiosè explicata, aut succincta, breviaque vel unius, ut Apophthegmata, vel Plurium, ut Proverbia. Facta denique seu res gestæ vel sunt plurium, vel unius. Plurium facta pariunt historiam, vel universalem, ut sunt Chronica, vel particularem, ut singulorum populorum.

A S





Hæc igitur amplitudo historiæ est, sed usitata divisio historiæ illius quæ hominum res gestas continet, est in Universalem & Particularem. Universalis est quæ commemorat res universas: eaq; est rursus vel Ecclesiastica, quæ præcipuè commemorat res Ecclesiæ: eaque omnium prima est & antiquissima, vel Politica, quæ imperiorum, monarchiarumque & Rerumpub. initia, constitutiones, incrementa, gubernationes, & conversiones, mutationesq; exponit.

Ratio

Ratio utiliter legendi historias.

Ex historiarum lectione multa utilia desumi possunt ad artium liberalium locos communes. Hinc enim rhetor, logicus, mathematicus, physicus, ethicus, politicus, antiquarius multa decerpere potest, quibus artem suam illucret, pleniorēque faciat. Quamquam igitur par est ut omnes ad historiarum lectionem illarum artium προγυωσιw afferant: quia tamen pauci his adjumentis instructi ad eas accedunt, à fideli explicatore illa prætereunda minime, sed omni diligentia demonstranda sunt. Verum his communibus rhetoricæ, logicæ, matheseos, physicæ, ethicæ, politicæ, antiquitatis, adjumentis omisissis, de illis pauca dicamus, quæ historiæ propria sunt. Utistarum narrationem aggrediamur, quinque generalia capita prius cognoscenda sunt. I. Ordo rerum gestarum. II. Tempus. III. Locus. IIII. Autores historiarum, V. Synopsis historica.

I. *ORDO RERVM GESTARVM.*

Historia universalis cōtinet res gestas duplicis Mundi: id est tū ejus qui fuit ante eluvionem, & in ipsa eluvione: tum ejus qui post eluvionem fuit: & adhuc existit. De rebus,

bus quæ ante universalem illum humani generis interitum per annos 1656 acciderunt, pauca admodum sciuntur: quia pauci de his scriptores extant, imò nullus fere fide dignus excepto Mose, qui in hac prima & aurea ætate commemorat has res ordine: originem Mundi & generis humani, institutionem cōjugii & domus, lapsum primorum parentum, promissionem de semine mulieris, parricidium Caini in fratrem Abelem commissi, inventionem artium, seriem annorum mundi usque ad eluvionem, historiam Enochī, qui vivus in cœlum translatus est: denique ipsam eluvionem, in qua Noachus cum suis conservatus est. Res verò quæ post eluvionem acciderunt, partim ante Christum natum, partim post eundem contigerunt. Ante Christum natum commemoratur historia delectæ cœlitus Sodomæ, turris Babylonica, divisio gentium: & Monarchiæ seu summi imperii constitutio. Inciderunt autem in hunc temporum articulum ante Christum natum, tres Monarchiæ, prima Chaldæorum & Assyriorum: secunda Persarum: tertia Macedonum. Sub quibus alia quoque minora regna & Resp. numerantur. Sic in primam Monarchiam, inciderunt res Ægyptiorum, Israëlitarum, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Hispaniæ, Sicyoniorum, Argivorum, Atheniensium, Trojanorum & Romanorum, ab
anno

anno orbis conditi 1789. usque ad annum orbis conditi 3406. In secundam autem Monarchiam inciderunt itidem res Judæorum, Atheniensium, Romanorum, Ægyptiorum: usque ad annum Mundi 3629. In tertiam inciderunt res Ægypti, Asiæ, Syriæ, Macedonia, Græcorum, Romanorum, Judæorum, usque ad annum Mundi 3918. In Christi natalem qui fuit anno Mundi 3963. incidit quarta Monarchia Romanorum: in qua Imperatores fuerunt alii ante translationem imperii Constantinopolim factam, à Julio Cæsare usque ad Constantinum M. & annum Christi 310. alii post translationem imperii, divisi in Orientales seu Constantinopolitanos, & Occidentales seu Germanos. Constantinopolitani à Constantino M. seu anno Christi 335. imperarunt usque ad Constantinum Palæologum, sub quo Constantinopolis capta est per Mahometem 2. anno Christi 1453. Occidentales à Carolo M. seu anno Christi 801. usque ad Rhodolphum 2. nostrum fuerunt partim Franci à Carolo M. usque ad Henricum Aucupem, seu annum Christi 920: partim Saxones ab Aucupe ad Conradum Salicum seu annum Chr. 1025. Franci rursus à Conrado Salico: partim Suevi ex veteri Gibellinorum stirpe anno Christi 1138. partim Austriaci à Rhodolpho primo seu anno Christi 1273. In hanc quartam

tam

ram Monarchiam incidunt res Pontificum, Persarum, Saracenorum, Francorum, Germanorum, Vandalorum, Gothorum, Longobardorum, Exarchorum, Anglorum, Scotorum, Danorum, Polonorum, Ungarorum, Turcarum, Ægypti, Parthorum, Hierosolymorum, Novi orbis, Aethiopiæ, Moscovitarum, Tartarorum.

II. TEMPVS ET Epochæ.

VARIA & multiplex de Tempore disputatio est apud Physicos: sed Plato ut breviter ita verè in Timæo dixit: Tempus tum incœpisse cum cœlum esset conditum: & tum desitutum cum cœlum esse desineret: *χρόνον ὅταν μετ' ἔργων γέγονεν, ἵνα αἶμα γεννηθέντες, αἶμα κὲν λυθῶσιν, ἂν ποτε λύσις τις αὐτῶν γένηται.* Cœlum itaque nihil aliud quàm hujus universi horologium est, ejusque horologii circulus temporis decursu ac fluxu imprimitur, ex cujus observatione Chronologia enata est, alter historiæ oculus, & quidem dexter. Post generalem itaque illum à nobis paulo ante positum ordinem historiæ intelligentiæ & memoriæ firmiter impressum, ad Chronologiam accedendum, est historiæ amator: & in eo genere diligenter cognoscenda sunt, quæ ab Eusebio, Lucido, Chytrao, præcipuè
vero

verò à Funccio scripta sunt. Funccius enim rerum amplitudine, certitudine, copia omnes omnium conatus & studia superavit. Sed in Chronologia duo præcipue animadvertenda sunt: unum est de Epochis: alterum de Chronologorum inter se discrepantia. Quod ad Epochas attinet, vel (ut alii vocant) Aeras, eas plenissimè doctissimèq; Paulus Crusius descripsit: à quo pauca in usum studiosorum delibabimus: & quidem ea, quorum in Chronologia mentio fit. Epochæ igitur ut Crusius definit, est certum & illustre quoddam principium temporis, à quo reliqua tempora numerantur, vel in consequentia secula, vel in præcedentia, vel in utramque partem. Est enim cujusque regni & imperii initium & temporis quasi retinaculum, quo velut certo & fixo signo historia cõtinentur, ne temerè sine meta & carceribus vagentur. Sunt autem duplices in Chronologia Epochæ, Historicæ scilicet & Mathematicæ, Historicæ rursus vel Ecclesiasticæ sunt vel Politicæ. Ecclesiasticæ sunt quæ in sacris literis & historiis Ecclesiasticis annotantur: inter quas prima & antiquissima, omniumque generalissima est orbis conditi: ideoque in Chronologia primum locum fortita: à qua hodieque Judæi motus & annorum seriem deducunt. Summa itaque annorum ab orbe condito ad nativitatem Christi $\theta\epsilon\alpha\iota\sigma\tau\omega\pi\alpha\tau\epsilon\varsigma$ est 3962, qui numerus

numerus etiam à Reinholdo, Funcchio, Chy-
 træo, Beuthero & aliis est annotatus. Ad
 hunc autem à Christo nato 1579. annum
 supputantur anni 5541. ab exordio Mundi,
 cujus duratio secundum Eliam debet esse sex
 millium annorum, ut in libro Thalmudico
 Sanhedrin cap. 2. & in libro Havoda Zara cap.
 1. conjectura est ex opificio Mundi sex die-
 rum: quam conjecturam multi velut ora-
 culum acceperunt, ut ait Bodinus, cum Eli-
 am prophetam esse arbitrarentur. Certè
 Rabbi Isaac in cap. 1. Genes. & Augustinus
 lib. 2. de Civitate Dei, illud vaticinium quasi
 de cœlo delapsum amplexantur. Hoc am-
 plius etiam Leo Hebræus, quòd perpetua sex
 annorum millium vicissitudine, Mundi ele-
 mentaris conversionem, ac septimo quoque
 millenario quietem fore opinatur, quousque
 quadraginta novem millibus annorum ela-
 psis, quinquagesimus orbium quoque cœle-
 stium interitum & quietem magni Jubilæi sit
 allaturus. Sed quoniam de extremo die at-
 que hora homo nullus scit, neque cœlestes
 angeli, neque filius hominis, sed solus cœ-
 lestis pater, 13. Mar. dictum illud domus E-
 liæ de sex annorum millibus & Leonis de 49.
 millibus Cabalisticum deprehenditur. He-
 lias enim iste & Leo scire se profitentur,
 quod à solo patre sciatur, ab hominibus au-
 tem, ab Angelis, à filio etiam hominis igno-
 retur.

retur. Secunda Epochæ est Diluvii, quod incidit in annum 1656. ab orbe condito, quantum Funccius in posteriore editione Chronologiæ annum unum adjecit. Tertia est turris Babilonicæ seu confusionis linguarum, quæ accidit anno 131. post diluvium in quem annum etiam principium regni Nimrodici seu Assyrii incidit: anno Mundi 1786. ut vult Crusius. Quarta est peregrinationis Abrahamæ. Nam Abraham anno ætatis suæ 75. ex Charan urbe Mesopotamiæ seu Interamniæ evocatus est à Deo in terram Canaan: anno Mundi 2021 secundum Crusium. Ab hac evocatione Abrahamæ, usque ad legis divinæ promulgationem per Moysen in monte Sinajo, primo anno exitus Israëuitarum ex Ægypto factam, Paulus ad Gal. 3. ait annos 430. elapsos. Quinta est Exodi seu Migrationis Israëuitarum ex Ægypto, quæ juxta Crusium incidit in annum Mundi 245. cum semisse. Sexta est annorum Sabbaticorum seu remissionis, quam ponit Crusius in annum Mundi 2499. seu annum Josuæ septimum. Sicut enim septimus dies, uniuscujusque hebdomadæ præcepto divino sollemnis habebatur: ita etiam septimum quemque annum à possessione terræ Canaan, pro requie terræ & libertate servorum observari Deus voluit. Levit. vigesimo quinto, Deuter. 15. Septima est Jubilæorum, quorum

initium.

initium pendet ab initio annorum Sabbaticorum. Est autem Jubilæus septenarium Sabbathum annorum: id est, 49. anni: quibus ex actis, incipienteque anno quinquagesimo, mensis Thissi decimo die, per clangorem buccinæ, libertas proclamari debuit in terra pro universis habitatoribus ejus, ut omnes scirent ab hoc ipso die sibi reditum ad avitas possessiones patere. Numerantur autem ab initio Jubilæorum usque ad Christi passionem 30. Jubilæi. Duplices autem sunt Jubilæi, Mundi & Mosaici. Mundi Jubilæi ab initio Mundi ad Christi passionem, sunt 51. divisus annis Mundi 2499. per 49. At Mosaici ab initio annorum Sabbaticorum usque ad Christi passionem sunt 30. divisus annis 1500. (tot enim alii numerant, non 1495.) per 49. Octava est Templi Salomonis, quod ædificari cœpit anno Mundi 2932. anno 480. ab exitu Israëlitarum ex Ægypto, ut est lib. 1. Reg. 6. Nona est captivitatis Babylonicæ, quæ duravit per 70. annos, ut prædixerat Jeremias cap. 25. Incidit autem in annum Mundi 3357. Decima est hebdomadam Danelis 70. quarum initium collocat Functius in 7. annum Artaxerxis Longimani, Mundi verò 3506. Undecima est incarnationis Christi, quam Functius ponit in annum Mundi 3963. Christiani autem serò admodum: hoc est, anno Christi 600. temporum rationem à

nem à partu virginis ordiri cœperunt. Atque hæc de Ecclesiasticis epochis. Politicæ sunt quæ in historiis prophanis occurrunt & in commerciis ac civilibus negotiis usurpantur, ut sunt epochæ Olympiadum, Urbis Romæ conditæ, Indictionum, Cæsarum, Imperii Germanici, Hegiræ Aëræ, Olympias est spacium quatuor annorum. Tot enim annis expletis, quinto quoq; anno incipiente, agon gymnicus totius Græciæ celebrabatur quem morem Iphitus primus instituit, ut Eusebius & Pausanias lib 5 testantur. Celebrabatur autem ordinarius iste Græcorum conventus ad Elidem urbem Peloponnesi, immense Junio, qui Græcis initium erat anni, videlicet in plenilunio, quod solstitio æstivo proximum est. Funccius Olympiadum initium collocat in annum Mundi 3189. Urbis Romæ conditionem collocat Funccius in annum Mundi 3213 à captivitate Trojæ 430. Indictio est spacium 15. annorū, seu trium lustrorum. Nam quinto quoq; anno, seu lustro quolibet censores Rom. populum censabant usque ad annum V. C. 695. quo P. Clodius Trib. pl. hanc consuetudinem, quæ ultra quadringentos annos duraverat, abolevit, ut Cicero in Pisonem refert. Crusius indictiones statim post Regifugium institutas putat. Apud Asconium & Plinium juniorem indictio tribuigenus est nec temporis cursum significare cœpit ante

Con-

Constantinum M. Cœpit autem anno Christi 313. ante diem 8. Cal. Octobris Constantino 2. & Licinio 2. Augg. Coss. idque in factis Cræcorum scriptum est his verbis: *ἰνδικτιόνων Κωνσταντίνου καὶ Λικινίου ἐν τεύθει ἀρχή*: quo die Maxentius à Constantino M. cæsus est, & pax ecclesiæ Christianæ restituta. Itaque decretum est in consilio Niceno, ut diplomatibus indiæiones ascriberentur, ut scribit Beda, propterea quòd nondum anno Christi utebantur, sed annis Imperatorum. Decretum est etiam ut circulus indiæionum caperet 15. annos, ut Olympias una quatuor. Tempore Diocletiani Septembri mense incipiebant, ut Ambros. indicat de Noë & Arca: & trino lustro, seu trina tributi illatione complebantur. Tandem sub Justiniano Imp. ad initium anni civilis seu natalem Christi transierunt: præceptumque est ab eodem Imp. ut indiæionum anni actis publ. infererentur, ut videre est in Novell. 47. de fide instrumentorum. Ab hoc tempore indiæiones frequentius in usu publico fuere: etsi Cedrenus eas ad initium Theodosii refert: sicut enim ait: *ἡ τῶν ὀλυμπιάδων πανήγυρις τετραεστὴ χρόνον ἐπετελεῖτο. ἤρξατο δὲ ἡ τοιαύτη πανήγυρις, ὅτε μανασῆς τῶν ἰσθαίων ἐφυλάττετο ἕως τῆς ἀρχῆς τῆς μεγάλης Θεοδοσίας ἣς ἤρξαντο αἰθιωπιῶται αἱ ἰνδικτιόνων. Cæsarum epocha cum Julio Cæsare cœpit, secundo ejus consulatu quem*

quem gessit cum P. Servilio Isaurico, anno
 Mundi 3918. anno V. C. 705. secundum
 fastos Capitolinos. Epocha imperii Ger-
 manici cum Carolo M. coepit anno Christi
 801. Epochen Hegiræ Crusius ponit in annū
 Christi 621. quo anno Mahometus Alcora-
 num promulgavit in Arabia. Bodinus eam
 coepisse scribit cum expeditione Mahometi
 anno Christi 592. Hispani ante Ferdinandū
 Catholicum (quod nomen assecutus est devi-
 ctis Saracenis, anno Christi 1490.) tempo-
 rum originem ac velut radicem, quam ipsi
 Æram vocant, ab anno imperii Augusti 16.
 duxerunt, quo promulgatum est edictum
 Tarracone ut describeretur universus orbis.
 Census tamen factus est anno imperii 42. ex
 quo intelligitur 26. annis ante Christi na-
 tivitatem incoepisse. Post Ferdinandi tem-
 pora rationem annorum Christi secuti sunt.
 Atque hæc de Historicis epochis: supersunt
 Mathematicæ, præcipuè verò quæ apud Pto-
 lemæum occurrunt: ut sunt Regni Nabon-
 assari, Mortis Alexandri, Cyclorum Metro-
 nis, *περιόδων* Callippi, Chaldæorum, Dionysii.
 Nabonassarem autem illum omnes Chrono-
 logi eundem cum Salmanassare Rege Assyri-
 orum faciunt, qui regnare coepit anno Mun-
 di 3217. ut annotavit Funccius in commen-
 tariis ad eundem annum. A Nabonassare
 ad Alexandrum M. numerat Ptolem. lib.
 3. capit

3. capite 8. *μεγάλης σωζέσεως* annos 424. qui regnare coepit anno Mundi 3629. Meton. Pausania filius Cyclum excogitavit *έννεαδέκαετηρίδι*: id est, annum decem & novem annorū Lunarium, quibus Græci utebantur. Hos enim tertio aut secundo quoque anno per embolismos ita solaribus annis adæquabant, ut intervallo 19. annorum. inter unia ad pristinas sedes proximè restituerentur. Incœpit autem Metonis annus, anno Mundi 3533. Olympiadis 87. anno primo. duravitq; per duos cyclos: id est, annos 38. Nam postea Endoxus fastos publicos ordinavit, quibus tota Græcia usque ad Julium Cæsarem usa est. Callippus verò quatuor cyclos *έννεαδέκαετηρίδι* in unam periodum coacervavit, ut sic annum Lunarem solari adæquaret & annos 76. complecteretur, qui ex quater 19. annis fiunt. Incidit autem prima periodus in finem secundæ Monarchiæ: id est, in æstatem ejus anni, quo Darius à Besso interfectus est, anno Mundi 3634. Epocha Chaldæorum (quæ in sacris literis annis regni Græcorum notatur) coepit cum regno Seleuci anno 3654. ut scribit Ptol. & Joseph. libro 12. antiq. capite. 6. Dionysii epochen refert Funccius ad initiū Philadelphi regis Ægypti, anno Mundi 3679. Atque hætenus de epochis: veniamus ad Chronologorum discrepantiam, cujus causas quinq; recenset Bodinus. Prima est quòd
 Persæ

Persæ aliter atque Græci, & Hæbræi aliter
 quàm utriq; , Persarum & Assyriorum prin-
 cipes appellarunt, ut sui quisque idiomatis
 vim ac puritatem retineret: quin & nomina
 interdum variè detorserunt. Secunda causa
 est quòd Græci & Latini, Hebræorum anti-
 quitates & linguam ignorarunt. Sic cum
 Moses ab orbe condito ad diluvium posuif-
 set annos 1656. septuaginta interpretes vel
 potius librarii quinto capite Geneseos vitam
 hominum ducentis interdum & trecentis an-
 nis longiorem fecerunt, quàm Hebræorum
 scriptura patiatur. Itaque juxta 70. ab orbe
 condito ad diluvium anni sunt 2362. diffe-
 rentia itaque est annorum 706. In Eusebio
 sunt anni 2242. usque ad diluvium: idemque
 ab orbe condito ad Christum mille ac ducen-
 tos amplius annos quàm Hebræi complexus
 est. Tertia causa est ex variis initiis anni. Græ-
 ci enim annos ab æstivo solstitio incoeperunt,
 Latini ab hyberno: occidentales à verna se-
 ctione: Arabes ab ingressu Solis in Leonem:
 orientales (id est Chaldæi, Persæ, Indi, Ægy-
 ptii, Hebræi (ab autumno, quo tempore Mū-
 dus est creatus: ut Josephus libro 1. antiquita-
 tum capite 3. scribit. Quare fallit Garcaus,
 qui Hebræos à sectione verna coepisse tradit:
 labitur & Mercator, qui mundo nascente So-
 lem in Leone fuisse putat: eoq; fundamento,
 malè jacto, cætera quæ de syderum motu ad
 historiam

historiæ fidem retulit, ruinam minantur. Quarta causa est, quòd Ægyptii, Persæ ac Hebræi certam epocham seu radicem temporum nullam habuerunt, sed regum ætatibus tempora definierunt. Græci ac Latini melius: alteri ad Olympiades, alteri ad urbis conditionem temporare tulerunt: Quinta & maxima errandi causa fuit ex ignoto Solis ac Lucæ cursu: in quo tametsi omnis antiquitas se valde torsit, efficere non potuit, ut certam annorum ac mensium rationem haberemus. Nam Leostrati *ὀκτοετηρίδες* mendosæ reperæ sunt, & aurea regula Metonis, Calippique annus fallax. Cæsaris quoq; annus hoc habet incommodi quòd Lunares sustulit, & nunc plenus est erroris. Nam paulatim æstivæ feriæ ad hybernos menses regrediuntur: & solstitiorum ac æquinoctiorum sedes antevertunt à Cæsaris ætate diebus circiter 14. & frustra in motu exæquando laborari putat Bodinus, qui motus cœlestes *ἀπρόητους* seu surdos credit: quia nullius numeris comprehendi possunt, quin semper aliquid relinquatur numerandum, ut videre est in singulis conversionibus Planetarum. Atque hæc
de Tempore & Epochis.

III. LO-

III. LOCVS ET GEO- graphia.

Alter historiae oculus est Geographia, cu-
jus autores sunt Ptolomæus. Strabo, Pli-
nius, Solinus, Mela, Dionysius, Glareanus,
Munsterus, Appianus, Honterus, & novissi-
mus omnium Abrahamus Ortelius in thea-
tro orbis terrarum. Dividitur autem totus
orbis in duplex hemisphærium, cujus confi-
deratione orbis alius vetus, alius novus vul-
gò appellatur. Partes veteris orbis tres sunt,
Europa, Africa, Asia. Regiones Europæ sunt,
Hispania, Gallia, Germania, Italia, Sarmatia,
Taurica, Chersonesus, Jazyges, Metanastæ,
Dacia, Mysia, Thracia, Chersonesus, Ma-
cedonia, Epirus, Achaja, Peloponnesus: cum
insulis Hibernia, Britannia, Orcadibus, Thu-
le, Gadibus, Balcaribus, Corsica, Sardinia,
Sicilia, Corcyra, Ithaca, Cephalenia, Zacyn-
tho, Echinadibus, Eubœa, Creta, Strophadi-
bus, Cythera, Salamine, Aegina. Africae
regiones sunt Mauritania, Numidia, Cyrene,
Marmarica, Libya, Ægyptus, Thebais, Æ-
thiopia. Regiones Asiae sunt, Pontus, Bithy-
nia, Asia, Lycia, Galatia, Pamphylia, Cappa-
docia, Armenia, Cilicia, Sarmatia, Colchis,
Iberia, Albania, Syria, Palæstina, Arabia, Me-
sopotamia, Babylonia, Assyria, Susiana, Me-

B

dia, Persis, Parthia, Carmania, Arabia foelix, Hyrcania, Margiana, Baetiana, Sogdiana, Sacæ, Scythia, Serica, Aria, Paropanifus, Drangiana, Arachofia, Gedrosia, India, Sinarum regio. Taprobane insula est opposita Indiæ. Novus orbis non ideò dictus est, quòd veteribus omnibus incognitus fuerit: sed quod cum diu latuisset, nostro seculo rursus detectus sit. Plato enim in Timæo & Critia ingentis cujusdam insulæ Atlantæ meminit, & obrutæ aquis terræ quæ Africam & Asiam amplitudine excederet, quorsum etiam Virgilii versus Aeneidos VI. spectant, cum ait:

—*jacet extra sidera tellus*

Extrà anni, solisq; vias, ubi cœlifer Atlas

Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum.

Quin & Aristoteles in libro de mirabilibus scribit negotiatores quosdam Carthaginenses à freto Herculeo in occidentem & meridiem navigantes, tandem multis exactis diebus in vastam quandam insulam pervenisse, desertam illam quidem & incolis vacuum, sed rebus tamen humanæ vitæ necessariis abundè instructam & fluviis navigabilibus irrigatam. Strabo quoq; lib. 1. navigationem à Gadibus in Indiam etiam Homeri ætate celebratam fuisse ostendit, & describit lib. 2. navigationem Eudoxi Cyziceni in Indiam. Denique & Plinius libro 2. capite 67. ait suo
tempore

tempore totum occidentem navigatum fuisse. Tot igitur veterum testimoniis exploratum est novum quem vocant orbem, veteribus non omnino ignotum fuisse. Sed quacunq; tandem de causa navigatio illa intermissa sit, nostra certè ætate (anno nimirum Christi 1492.) Christophorus Columbus primus Ferdinando & Isabella regibus Hispaniarum, novum orbem detexit: invenitq; Cubam & Hispaniolam. Postea sub Carolo V. sequuti sunt Cortesius, qui novam Hispaniam & Mexicanum regnum: Valboa, qui mare australe, vulgo delzur: Pizarrus, qui Peruanum regnum, Magellanes, qui fretum Magellanicum: Pontius, qui Floridam: Franciscus Fernandes, qui Jucatanam aperuit. Novi itaq; orbis, item ut veteris, tres partes sunt, Septentrionalis, America seu india occidentalis, & Meridionalis seu Magellanica: utraq; ab inventoribus sic dicta. America à septentrione in meridiem vergit sub forma duarum peninsularum, quæ parvo isthmo connectuntur. Ea peninsula quæ septentrionem spectat, regiones has habet, novam Hispaniam, Mexicanam, Floridam, Franciam novam. Quæ in meridiem protenditur & terra firma dicitur, Peruanum regnum, Bresiliam, Caribanam, Patagones continet.

IIII. AVTORES HI-
storiarum.

Sicut historia alia universalis, alia particularis est: ita & autores historiarum aut universalem historiam, aut particularem complectuntur. Universalem tractarunt Philippus in Chronico & Peucerus, Justinus, Diodorus Siculus, Zonaras, Eusebius, Orosius, Jornandes, Hermannus Contractus, Sabellicus in enneadibus, Bergomas. Specialis historiae autores continuo ordine sic legendi sunt. Moses, Berosus, Herodotus, Thucydides, Xenophon, Diodorus, Plutarchus, Arrianus, Curtius, Livius, Dionysius, Polybius, Salustius, Cæsar, Appianus, Dion, Xiphilinus, Paterculus, Tacitus, Suetonius, Spartianus, Capitolinus, Lampridius, Herodianus, Zonaras, Anna, Nicetas, Gregoras, Chalcondyles, Vopiscus, Marcellinus, Jornandes, Procopius, Agathias, Diaconus, Nicephorus, Blondus, Cuspinianus, Naucleus, Jovius, Guicciardinus. Ecclesiasticae verò historiae autores sunt, Biblia, Epiphanius, Josephus, Egesippus, Eusebius, Ruffinus, Tripartita, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Euagrius, Nicephorus, Zonaras, Platina, Sleidanus, Historia Magdeburgensis. Germaniæ res scripsere Tacitus, Rhennanus,

nanus, Eginardus, Regino, Luitprandus, Vvidikindus, Lambertus, Sigibertus, Otto Frisingensis, Radevicus, Urspergensis, Aventinus, Cuspinianus, Nauclerus, Crantius, Munsterus, Sleidanus. Galliae Gregorius Turonensis, Annonius, Adon, Gaguinus, Aemylius, Jovius, Comineus, Frossardus, Sleidanus. Austriae, V Wolfgangus Lazius. Ungariae Bonfinius, Turocius. Poloniae Cromerus. Daniae Crantius. Gothiae Olaus. Saxoniae Crantius. Bohemiae Aeneas Sylvius & Dubravius. Helvetiae Stumpfius & Simlerus. Basileae Urstifius. Angliae Beda & Polydorus. Scotiae Hector Boethus, Hispaniae Franciscus Tarapha. Turcarum Chalcondyles, Jovius, Barletius. Tartarorum Haito, Paulus Venetus, Michovius, Moscouitarum, Jovius, Sigismundus ab Herberstein. Africae Leo Afer. Aethiopiae Alvarezius. Venetorum Bembus. Novi orbis seu insulae Atlanticae, Oviedus, Cortesius, Gufmannus, Nunnius, Vespucius, Gomara, Benzo, Lerius, &c.

V. SYNOPSIS HISTORICA.

Ultimum restat ex generalibus historiae cognoscendae praecipis, Synopsis videlicet brevis, quae omnes Monarchias & regna.

breviter per monarcharum & regum nomina contineat, initia & conversiones seu exitus aspectu uno proponat, ac memoriã brevissimo aliquo mnemosyno excitet: ita tamen ut in sinistro latere Epocha Mundi & Christi, in dextro anni imperii & regni numeris annotentur: cujus rei exemplum hîc subjecimus.



PRIMA

PRIMA MONAR-
CHIA ASSYRIORUM ET
CHALDAEORUM.

An. M^o.

1789. 1 Nimrod, Saturnus Babylonicus: anno
131. post cataclysmum 56.
1845. 2 Belus, Iupiter Babylonicus. 62.
1907. 3 Ninus Beli filius 52. Ninum urbem
condidit.
1959. 4 Semiramis 42 ab a viibus nutrita. Ba-
bylonem cinxit muro.
2001. 5 Zameis Ninias 38. Amraphel dictus.
2039. 6 Arius 30.
2069. 7 Aralius 40.
2109. 8 Balus Xerxes 30.
2139. 9 Armatrites 38.
2177. 10 Belochus Priscus 35.
2212. 11 Balus junior 52.
2264. 12 Altades 32.
2296. 13 Mamitus 30.
2326. 14 Mancaleus 30.
2355. 15 Spherus 20.
2376. 16 Mancaleus 30.
2406. 17 Sparetus 40.
2446. 18 Ascatales 40.
2486. 19 Amyntes 45.
2511. 20 Belochus junior 25.

B 4

An. M^o.

2556.	21	Bellopares 30.
2586.	22	Lamprides 22.
2618.	23	Sofares 20.
2638.	24	Lampares 30.
2668.	25	Pannias 45.
2713.	26	Sofarmus 19.
2732.	27	Mytreus 27.
2759.	28	Tautanes 32.
2791.	29	Tauteus 40.
2831.	30	Tyneus 30.
2761.	31	Dercillus 40.
2901.	32	Eupales 38.
2939.	33	Laosthenes 45.
2984.	34	Pyrihiades 30.
3014.	35	Ophrateus 20.
5034.	30	Ophraganeus 50.
3084.	37.	Ascrasapes 42.
3126.	38	Tonosconcolerosvel Sardanapalus 20. Pro Sardanapalus. Athen. lib. 8. C 12.

Regnum Assyriorum novum.

3146.	1	Phul Belochus 48.
3194.	2	Phul Assar 23.
3217.	3	Salmanassar 10.
3227.	4	Senacherib. 7.
3233.	5	Assar haddon 10.
3243.	6	Merodach Baladan 40.

3283.

An. Mii.		
3283.	7	Ben Merodach 21.
3304.	8	Nabogdonosor primus 35.
3339.	9	Nabogdonosor M. 43.
3381.	10	Evilmerodach 30.
3412.	11	Regassar 3.
3415.	12	Labassardach 6.
3420.	13	Balthasar 5.

REGES ÆGYPTI, APUD
Eusebium.

1802.		Oceanus an. 15. Nimrodi Ægyptum tenuit. Osiris. Isis.
2139.		XVII. Dynastia Ægyptiorum quo pastores regnarunt an. 103. XVIII. Dynastia, Politanorum per annos 348.
2242.	1	Amasis 25.
2267.	2	Chebron 13.
2280.	3	Amenophis 21.
2301.	4	Mephres 12.
2313.	5	Mispharmuthosis 26.
2339.	6	Thuthemosis 9.
2348.	7	Amenophis secundus 31.
2379.	8	Orus M. 38.
2417.	9	Acencheres 12.
2429.	10	Achorus 9.
2438.	11	Chencres 16.

An. M^o.

2454. 12 *Acheres* 8.
 2462. 13 *Cherres* 15.
 2477. 14 *Armeus, seu Danaus* 5.
 2482. 15 *Rameffes Aegyptus* 68.
 2550. 16 *Pharao Menophis* 40. *Miris ab alijs.*

Dynastia Larthum per annos

194.

2590. 1 *Zetus* 55.
 2645. 2 *Ranses Larthes* 66.
 2711. 3 *Amenophis tertius* 40. *Iustino Vexoris:*
alijs Sesostris.
 2751. 4 *Amenophis quartus* 26.
 2777. 5 *Thuoris* 7.
 2784. *Dynastia Diapolitanorum per an-*
nos 177.

Dynastia XXI.

2961. 1 *Smendes* 26. *In sacris Sesar.*
 2985. 2 *Pseusenses* 41.
 3028. 3 *Nepher Cherres* 4.
 3032. 4 *Amenophis* 9.
 3041. 5 *Osochorus* 6.
 3047. 6 *Spinaces* 9.
 3056. 7 *Perfusennes* 35.

Sequentes reges sunt apud Herodotum.

3060. 1 *Cheops* 50. *Incepit regnare anno 5. Per-*
susennis.

3110. 2

An. M̄.

3110. 2 Cephrenes 56.
 3166. 3 Mycerinus, Cheopis F. 6.
 3170. 4 Asychis sive Anisis 6.
 3178. 5 Sabacus Æthiops 50.
 3228. 6 Sethon Vulcani sacerdos. 33.

Interregnum per duos annos.

Duces XII. per annos 15.

3278. 7 Psammitichus 54.
 3332. 8 Necos 17.
 3349. 9 Psammis 6.
 3355. 10 Apryes 35.
 3390. 11 Amasis 44.
 3434. 12 Psammenites 6.

RES ISRAELITARUM.

I. PATRES.

Noa

Sem.

Arphaxat.

Sale.

Eber.

Phaleg.

Rehu.

Saruch.

Nahor.

Thare.

Abraham.

Isaac.

Jacob.

Iacob.

Ioseph.

An. Mii.

II. JUDICES SEU
Duces.

2454.		Moses. Exitus ex Aegypto 40.
2494.	1	Iosua 32.
2526.	2	Othoniel 8.
2534.	3	Ehud 80.
2614.	4	Debora & Barac 40.
2654.	5	Gideon 40.
2694.	6	Abimelech. 3.
2697.	7	Thola 23.
2720.	8	Iair 22.
2760.	9	Iephthe 6.
2766.	10	Abesan. 7.
2773.	11	Eon 10.
2783.	12	Abdon 8.
2791.	13	Simson 20.
2811.	14	Eli 40.

III. REGES.

2851.	1	Samuel & Saul 40.
2890.	2	David 40.
2930.	3	Salomon 40.
2971.	4	Khoboam 17.
2988.	5	Abia 3.
2991.	6	Afa 41.

An. M^o.

3031.	7	Iosaphat 25.
3056.	8	Ioram 4.
3060.	9	Ochozias 1.
3061.	10	Athalia 7.
3067.	11	Ioas 40.
3107.	12	Amasias 29.
3136.	13	Ozias 52.
3188.	14	Ioathan 16.
3204.	15	Achas 16.
3217	16	Ezechias 29.
3247.	17	Manasses 55.
3302.	18	Ammon 2.
3304.	19	Iosias 31.
	20	Ioachas mensibus tribus.
3335.	21	Ioachim 11.
	22	Ieconias 3. mensibus.
3346.	23	Zedechias 11.

RES ITALIÆ.

1798.		Gomerus Gallus colonias in Italia posuit, anno 10. Nimrodi fuit primogenitus Iapeti.
1856.		Ochus Veius 50.
1900.		Cham venit in Italiam, Aborigines condit.
1925.		Ianus: id est, Noh venit in Italiam: anno 19. Nini: in Tuscia Ianiculum condit.
1970	I	Sabatius Saga cum Iano regnat in Italia

An. M^o.

Italia an. 31. cepit anno 12. Semi-
ramidis.

- | | | |
|-------|---|---|
| 2001. | 2 | Cranus Coritus, qui & Vertumnus Gr. |
| 2062. | 3 | Arunnus F. Crani 41. |
| 2103. | 4 | Malot Tages 39. |
| 2142. | 5 | Sicanus F. Tagetis 30. |
| 2172. | 6 | Tyranni Enacij Lucij Italiam oppri-
munt an. 34. |

Tyranni Gigantes Italiam te-
nent an. 3.

- | | | |
|-------|----|---|
| 2209. | 1 | Osiris tota Italia potius est annis 10. |
| 2219. | 2 | Lestrygo Gigas Osiris F. 33. |
| 2252. | 3 | Hercules Lybius 30. |
| 2282. | 4 | Thuscus 32. |
| 2317. | 5 | Alteus Tusci F. 20. |
| 2337. | 6 | Kitim 13. Italus Atlas dictus est. |
| 2350. | 7 | Morges Itali F. 9. |
| 2359. | 8 | Camboblasco 50. |
| 2409. | 9 | Iasius 49. |
| 2458. | 10 | Corybantus F. 41. |
| 2499. | 11 | Thurrenus 51. |
| 2550. | 12 | Tarchonpriscus 34. Initium regni
Tuscorum. |
| 2584. | 13 | Abas 15. |
| 2599. | 14 | Olanus 23. |
| 2622. | 15 | Veibenus 48. |
| 2670. | 16 | Oscus 17. |

2687. 17

An. M^o.

2687.	17	Tarchon 44.
2731.	18	Tiberinus 35.
2766.	19	Mezentius 20.
2786.	20	Tarcon junior 20.
2806.	21	Ocnus Bianor 49.
2855.	22	Pipinus 56.
2911.	23	Nycius Fesulanus 47.
3958.	24	Pyseus Thuscus pirata 52.
3011.	25	Thuscus junior 39.
3049.	26	Amnus 25.
3074.	27	Felsinus 33.
3107.	28	Bon 28.
3135.	29	Atrius 27.
3162.	30	Marsias 18.
3180.	31	Etalus 30.
3210.	32	Cælius 21.
3231.	33	Galeritus 20.
3251.	34	Luchinus Tuscus 25.
3276.	35	Cibitius 82.
3358.	36	Lucumo Clusinus 38.
3396.	37	Rhetus 20.
3416.	38	Hyelus 41.
3457.	39	Porsena Clusius 58.
3515.	40	Tolumnius Veiens 16.
3531.	41	Eques Tuscus 46.
3577.	42	Livius Fidenas 48.
3625.	43	Elbius Tuscus 32.
3657.	44	Turvenus Cæso 25.

RES

RES GALLIÆ.

1806. Samothès, cognomento Dis, Celtas colonias fundavit: temporibus Nemrodi. Celtas legibus format. Ejus filius Magus.
2010. Sarron: publica literarum studia instituit.
2067. Druyus: ab hoc Druydes dicti.
2069. Bardus: inventor carminum & Musicae.
2172. Bardus junior.
2209. Lucus.
2223. Celtes: Pyreneo monti nomen dedit.
2274. Galathès, à quo Gallia Narbonensis.
2335. Lugdus: à quo Gallia Lugdunensis
2388. Belgus: à quo Belgium.
2456. Allobrox.
1316. Romus.
2551. Paris.
2590. Lemannus.
2658. Galathès junior Galatas Asia contulit.
2709. Namnes.
2754. Rhemus.
2792. Francus.

RES GERMANIÆ.

Aventin. lib. 1.

Anno 101. post diluvium divisit Noë terram

An. M^o.

terram in tres partes *Asiam, Africanam, Europam*, servatis nominibus quae ante eluvionem fuerant, easque filijs ostendit, navi circum littora vectus.

Anno III. *Tuisconis* (quem in *Armenia* genuerat) posteros adoptat: ipsum deinde in *Europam* mittit: quicquid inter *Rhenum* & *Tanaim* amnes continetur, eidem assignat. Haec *Aventi*. Alij *Tuisconem* volunt esse *Ascenas* filium *Gomeri* primogenitum, à quo *Germani*, die *Teutschen* dicti sunt: sicut à *Gomero* *Cimbri*, qui ex *Italia* cedentes *Daniam* & loca ea versus *Septentriones* inhabitant, ubi nunc *Dani, Norvegi, Gothi*.

Anno 131. post diluvium *Nimrod* regnum *Assyriorum* seu *Babyloniorum* condidit: cujus primordio *Tuisco* *Gigas*, pater *Germanorum* & *Sarmatarum* ex *Armenia* venit in *Europam* cum XX. ducibus, à quo *Teutones* nominati,

- 1 *Sarmata*, à quo *Sarmatia*.
- 2 *Danus*, à quo *Dania* & *Dani*, qui *Cimbri* dicuntur.
- 3 *Geta* à quo *Gotlandia* in sinu *Venedico* è re-

SYNOPSIS.

- 16 Adulas: nomen dedit monti altissimo inter Oenum & Rhenum.
- 17 Diclas.
- 18 Obalus.
- 19 Epirus.
- 1 Tuisco: mores & victum introduxit, quæ Cæsar lib. 6. Germanis tribuit. Literas etiam invenit, non dissimiles Græcis: has postea Cadmus ad Græcos transtulit, easquæ Homerus emendavit.
- 1964 2 Mannus successit patri Tuisoni, regnavit 66. annis. Tempore Semiramidis: ejus filij Trevir & Ingevon. Ille condidit Treviros gentem Gallia Belgica in ripa Moselle. Cornel. Tacitus Treviros ambitiosos ait in affectatione Germanica originis, & Cæsar Belgas à Germanis ortos scribit.
2006. 3 Ingevon successit patri: publica literarum studia ad comprimendam hominum audaciam instituit. Regnavit annis 45. Nomen dedit Ingevonibus, id est, Selandis.
- 4 Istevon filius Ingevonis successit patri: condidit Istevones, accolæ Rheni.
- 2069 5 Hermion regnavit an. 63. Nomen dedit

dedit Hermionibus, id est, Suevis, Catts, Francis, Hermunduris, Boijs, Cheruscis. Disciplinam militarem apud Germanos instituit, qualem describit Caesar in Suevis & Germanis.

2113. 6 Marsus reg. an. 46. Ejus opus Mersburg in Misnia. Condidit Marsos & Marsingos. Docuit Zythum conficere.

2175. 7 Gambrius seu Cimbrus: Kempfer: anno 44. à quo Cimbri, id est, Dani, Scandia, Selandi, Sueci, Gothi.

8 Suevus. an. 48. Condidit Suevos.

2267. 9 Vandalus. an. 41. autor Vandalarum et Venedorum: qui hodie Sclavi dicuntur: ut sunt Bohemi, Poloni, Massovij, Moravi, Podolij, Roxolani, Lituani.

2315. 10 Teuto. an. 27. autor Teutonum: quod nomen commune nunc est omnium Germanorum. Olim fuerunt in littore sinus Codani, inter Albi & Vistulae ostia: hodie Luneburgenses, Mechelburgenses, Pomerani, Borussi cis Vistulam.

11 Alemannus Hercules, primus conditor Bojorum: cujus insigne Leo fuit.

An. Mū.

fuit: itaque alere Leones Boiaria
ducibus gentilitium est. Nomen
ejus retinet pagus & flumen Alt-
mül. Galli seu Celtæ, omnes Ger-
manos vocant Alemannos.

Filii Alemanni Herculis 4. traduntur.

- I. *Noricus primogenitus: qui regnavit
intra Danubium, Oenum, Dravū,
Italiam et Noricos antea Tauriscos
dictos, à Taurisco rege. que Hercules
interemit. Plinius omnes ejus car-
dinis populos Herculeam gentē ait
esse. Ejus opus est Noreia urbs Tau-
risorum, de qua Strabo lib. 5. Cæs.
lib. 1. Quidam Noribergam ab
eodem conditam scribunt.*
- II. *Hunnius in Sarmatia regnavit: à
quo Hunni: ubi hodiè Tartari.*
- III. *Helvetius: qui Istævones possedit, à
quo Helvetii inter Hercyniam syl-
vam, Rhenum & Mænum fluvios:
qui postea Rhenum transgressi in
Galliam Celticam.*
- IIII. *Bojus, minimus natus: Alemannos
à patre conditos & Hermionum
non parvam partem à se Bojos nunc
cupavit:*

cupavit: ubi hodiè Bohemi: Suevi
postea Bojos Bojemia ejecerunt. Qui
extra Hercyniam incolūt Boij, Da-
nubio, Alemanno & Regneso flu-
viis cōtinentur, ubi adhuc Bairreut
& Barberg, id est: Bojorum nova-
le & mons visuntur. Ibi Vichto mōs
est, der Fichtelberg Bojodurum.
Beyerdurn, hodie Passau, est in con-
finio Bojemie, Vindelicorum &
Noricorum, in confluyente Danubij,
Oeni & Il. Si.

Haectenus anni 830. à diluvio: 2486.
à condito mundo.

Tarquinio Prisco regnante in Italiam
venerunt Ligures, Boij, Insubres,
Suevi, Senones, ducibus Belloveso,
Sigoveso, Eltovio. Condiderunt
Mediolanum, Ticinum, Comum,
Brixiam, Veronam, Bergomū, Tri-
dentū, Vicentiam, Mutinā, Parmā,
Bononiam, Laudem Pompeiam.

3396.

Thufci, duce Rheto, a vitis sedibus a-
missis Alpes occuparunt: & nomine
ducis Rhetorum gentem condide-
runt.

3577.

Brenno duce Senones Italiam ingressi
Capitolium obsederunt: sed à Ca-
millo cæsi sunt.

R E S

An. Mii.

RES HISPANIAE.

1800. 1 Anno 12. Nimrodi, Tubal, filius Iapeti, condidit Celtiberos in Hispania, regnavit annos 155.
1955. 2 Iberus filius Tubalis. an. 37. Ab hoc Iberi dicti.
1992. 3 Iubelda an. 66.
2058. 4 Brygus 51.
2109. 5 Tagus 30.
2139. 6 Betus.
2170. 7 Deabus, qui est Geryon 37.
2205. 8 Lomnini, tres Geryonis filii 42.
2247. 9 Hispalus filius Herculis Libii 17.
2264. 10 Hispanus 32.
2296. 11 Hercules, avus Hispani prioris 19.
2315. 12 Hesperus 11.
2326. 13 Kitim, frater Hesperii 11.
2337. 14 Sicorus filius Kitim 45.
2382. 15 Sicanus 31.
2413. 16 Siceleus 44.
2457. 17 Lusus 30.
2485. 18 Siculus 64.
2551. 19 Testa 74.
2625. 20 Romus 33.
2657. 21 Palatuus 18.
2675. 22 Cacus 36.
2711. 23 Palatuus iterum.
2717. 24 Erihrus 66.

2783.

An. Miv.

2783.

25

Gargaris Mellicola 75.

Regnatum est in Hispania usque ad
75. annum captae Trojae: inde in
provincias & particularia civita-
tum dominia conversa est: donec
Carthaginenses & Romani eam
occupavere.

RES SICYONIORUM in Peloponneso.

- | | | |
|-------|----|---------------------------|
| 1874. | 1 | <i>Aegialeus, an. 52.</i> |
| 1926. | 2 | <i>Europs 45.</i> |
| 1971. | 3 | <i>Selchin 20.</i> |
| 1991. | 4 | <i>Apis 25.</i> |
| 1916. | 5 | <i>Theffalion 52.</i> |
| 2068. | 6 | <i>Aegidius 34.</i> |
| 2102. | 7 | <i>Thurimachus 45.</i> |
| 2147. | 8 | <i>Leucippus 53.</i> |
| 2200. | 9 | <i>Messapius 47.</i> |
